

2º Idem non tenetur per se vel per confessarium suum facultatem absolvendi petere litteris : hoc enim medium in Jure communi non exprimitur tamquam necessarium. Quodsi hodie, propter recentiora decreta, saepe necesse est litteris petere facultatem absolvendi a casibus Pontificiis, haec dispositio peculiaris ad casum episcopalium absolutio- nem extendenda non est, nisi ipsi Ordinarii declaraverint velle ut impediti hac ratione ad se recurrent. Litteris uti poterit confessarius ubi poenitens nullo stricte dicto impedimento, sed tantum timore incommodi vel verecundia prohibetur quominus coram episcopo compa- reat. (Ball. P. l. c.)

3º Qui peccatum reservatum, nullum autem aliud mortale commisit, non tenetur ad confitendum sacerdoti pro reservatis non approbato, quando celebrare vel communicare intendit, sed sufficit ut contritionem eliciat, quae facienti quod in se est non videtur umquam defutura. Id sequitur ex opinione communi : absolutionem quam recepturus esset fore tantum indirectam, ut modo dictum est. Nam non appareat quare accusandum sit peccatum cuius judicium institui nequeat. (S. Alph. n. 265) Haec ratio cadit, si admittitur absolutionem fore directam : sed nihil cogit ut hanc sententiam sequamur.

4º Qui cum mortalibus reservatis alia non reservata commisit, tenetur ad praemittendam confessionem apud simplicem confessarium. Nam ante communionem facienda est confessio, saltem formaliter integra, peccatorum mortalium. In hac tamen confessione reticeri possunt peccata reservata, tum quia de iis judicare nequit confessarius, utpote carente jurisdictione, tum quia secus bis eadem peccata essent confitenda, saltem juxta opinionem communem de absolutione indirecta. Excipit S. Alph. (l. c.) poenitentem qui sit recidivus in reservata, vel in occasione proxima recidendi : is enim teneretur etiam reservata aperire ut confessarius de ejus dispositione recte posset judicare. Attamen haec parum convincunt. Nam status recidivi aut occasionarii per se non obstat dispositioni ; monita autem aut interrogationes ad hanc consuetudinem vel occasionem peccatorum reservatorum pertinentia, spectant ad eum qui de his peccatis judicare potest. (Ball. P. n. 671) (1)

348. IV. Licet simplici confessario absolvere eum qui lapsus est in **peccatum dubie reservatum**, sive dubium sit facti, ex. gr. quia non

(1) Quandoque Ordinarius permittit omnibus confessariis ut a reservatis absolvant eos qui communionem sine notabili damno famae omittere nequeunt, vel, sine absolutione dimissi, communionem paschalem omissuri videntur, etc. Videsis Stat. Mech. n. 270, 5º. Tunc certum est absolutionem dari posse direc- tam, ac proinde locus non est his quaestionibus, quia singuli confessarii habent potestatem in haec reservata.

constat peccatum cum plena deliberatione commissum esse, sive dubium sit juris, quia non constat peccatum certo grave sub reservatione comprehendendi. Nec refert utrum dubium sit positivum an negativum. Ratio praecipua est : reservationem esse odiosam, ideoque non esse necessario observandam nisi de re certo constet. Neque timendum de valore absolutionis : cum enim saltem probabile sit dari posse absolu- tionem, Ecclesia, ubi opus erit, supplebit. (n. 330)

Absolutio sic data erit directa. Quare nulla esset obligatio iterum confitendi idem peccatum apud confessarium privilegiatum, si postea certo innotesceret illud fuisse reservatum. Ita communis sententia cum S. Alph. (n. 600)

V. Plurimum controvertitur quatenus possit absvolvi a casibus reser- vatis **peregrinus** qui in dioecesi non sua confiteatur. Varia datur responsio pro ratione qua origo jurisdictionis in peregrinum exercendae explicatur. Cfr. n. 328. VII.

Si statuitur hanc jurisdictionem dari ab episcopo poenitentis, sequitur eam per se affici iis limitibus iisque tantum quos ille episcopus in sua dioecesi posuit. Quare absvolvi quidem poterit a casibus reservatis tantum in loco ubi ejus confessio auditur, non autem ab iis qui in ipsius dioecesi reservati sunt, nisi confiteatur apud Regularem, cui tale privi- legium diserte asseritur a Clem. X. in Bulla *Superna*. Cfr. textum n. 328. Quidam tamen e fautoribus illius sententiae, ut Lehmk. (II. n. 403), eamdem facultatem per consuetudinem ad confessarios saeculares manasse asserunt.

In sententia quam probabiliorem ducimus, nempe jurisdictionem haberri a R. P. probante consuetudinem ut peregrini confitentes pari passu cum incolis loci procedant, liquet jurisdictionem confessarii iis limitibus circumscribi quos posuit episcopus loci ; consequenter pere- grinum absolvere poterit confessarius non privilegiatus a peccatis in poenitentis dioecesi reservatis, minime vero ab iis quae in loco confessionis reservantur.

Ob has utrimque probabiles sententias, practice licet absolvere peregrinum a casibus reservatis, nisi 1º peccatum sit reservatum simul in loco confessionis et in domicilio poenitentis ; immo etiam in hoc casu absolvere posset confessarius facultate pro reservatis praeditus, quia peregrinus, saltem probabilius, habendus est ut incola loci (S. Alph. n. 583) ; — 2º confessarius noverit poenitentem " in fraudem reserva- tionis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse. „ (Const. *Superna*)

Quinam autem censendi sint *in fraudem reservationis* migrare, mul- tum disputant DD. Sufficiat, in re parum practica, afferre opinionem

S. Alph. (n. 589), scil. probabilius designari eos qui alienam petunt dioecesim ob principalem finem obtainuae absolutionis vitandique judicij proprii pastoris, non autem qui illuc tendunt ob aliquem honestum finem, puta ut confiteantur cum minori incommodo, aut citius confessionem expediant, vel confessarium incognitum aut prudentiorem inveniant, etc.

349. VI. Si Superior **injuste negaret facultatem** absolvendi a reservato, nequit subditus **absolvere**, nisi in iis adjunctis et cum iis condicionibus, de quibus supra (III) dictum est. Ratio est, **injusta denegatione non conferri potestatem.** (Ball. P. n. 688.)

Exceptio tamen est facienda pro confessario Regularium petente facultatem absolvendi a easu qui in Ordine suo reservatus sit. Nam si Superior facultatem hujusmodi **neget**, confessarius vero judicet eam debere concedi, puta quia denegatio in detrimentum spirituale poenitentis cessura sit, poterit is **confessarius illa vice absolvere.** Ita statuit Clemens VIII, ut testatur et **confirmat** Urbanus VIII. (Const. *Sanctissimus*, 21 Sept. 1624) Plures autem AA., ut refert et probare videtur Busemb. (ap. S. Alph. n. 586), probabile censem idem teneri posse, si is qui facultatem petit absolvendi a **reservato**, non est quidem designatus ut confessarius, sed tamen est **vir** pius, doctus et prudens. Verum id a mente Clementis VIII alienum censemus: quippe qui loquitur de **confessario**, quo nomine non **venit** sacerdos jurisdictione carens. Probabilius verba **illa vice** non sunt **ita** intellegenda ut tantum semel liceat, contradicente Superiore, a **reservato** absolvere, sed ita ut nequeat confessarius a **reservato** eumdem **vel** alium poenitentem rursus absolvere, nisi rursus petat veniam; quae **si** iterum irrationabiliter negetur, poterit iterum absolvere. (Ball. P. n. 692) Fas tamen erit Superiori denegare facultatem quando scandalum **vel** damnum commune timetur, nec removeri potest nisi poenitens, **per** se vel confessarium suum, aliquam cognitionem rei Superiori **praebeat.** Tunc enim ipsum jus naturae exigit ut hoc medium quod unicum **prostat** adhibeat, et qui adhibere nolle, tamquam indispositus, **absolutione** privandus esset. (Ball. P. n. 698)

VII. Qui **bona fide confitetur**, nesciens suum casum esse reservatum vel sacerdotem carere **potestate** circa illum, valide quidem absolvitur, cum onere tamen iterum **confitendi** illud peccatum habenti potestatem in reservata: nam, ob defectum jurisdictionis in reservatum peccatum, ab hoc absolveretur tantum indirecte. Supponitur aliud peccatum non reservatum **adjici**: secus enim, defectu jurisdictionis, nulla esset absolutio. (Bus. ap. S. Alph. n. 596)

350. VIII. Qui confitens habenti potestatem ordinariam vel delegatam in reservata, inculpabiliter **oblitus est** reservatum, potest illud postea confiteri apud inferiorem, et absolviri. Haec opinio communis in praxi tuta est, licet quidam contradictant vel restrictionem ponant, ut S. Alph. (n. 597): nam, in materia jurisdictionis, sufficit probabilitas. Ratio autem est: posse per absolucionem indirectam auferri reservationem, si id velit habens potestatem ordinariam vel delegatam absolvendi a reservatis; talen autem voluntatem in eo praesumendam esse, quia rationabiliter existimandum est confessarium velle poenitenti opem ferre quantum potest, juxta formulam: "In quantum possum et tu indiges." (Lugo, disp. 20. n. 91 seqq.)

Idem cum sententia communi tenendum, ubi confessio est invalida, sive inculpabiliter, sive etiam culpabiliter. Nam reservatio principaliter ordinatur ut peccata deferantur Superiori, utque ipse super ea ferat judicium, praebendo salutaria monita ac poenitentiam imponendo; unde, ex quo subditus suum peccatum subiectum judicio Superioris vel alius habentis facultatem, jam obtinetur finis reservationis. (S. Alph. n. 598) Excipe tamen si poenitens culpabiliter reticeat ipsum peccatum reservatum, vel si in illa sacrilega confessione inculpabiliter obliviscatur confiteri peccatum reservatum. Irrationabiliter enim praesumeretur Superior velle in tali sacrilega confessione auferre reservationem peccati sibi non delati. Cfr. n. 414.

§ 9. DE ABSOLUTIONE COMPLICIS IN PECCATO TURPI.

351. I. Quilibet confessarius **caret jurisdictione** ad absolvendam a peccato turpi contra sextum decalogi praeceptum commisso qualecumque personam complicem suam in hujusmodi culpa. Ita statuit Bened. XIV, Const. *Sacramentum Poenitentiae* (1 Jun. 1741): "Interdicimus et prohibemus ne aliquis eorum extra casum extremae necessitatis, nim. in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque in honesto contra sextum decalogi praeceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate ac jurisdictione ad qualecumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit."

352. II. De hujus **prohibitionis extensione**, adverte:

1º Nomine **peccati turpis** hic venit omne et solum peccatum externum grave contra sextum praeceptum, etiamsi in sua specie consummatum non fuerit, ex. gr. tactus graviter turpis.